

ELEGIA.

Ergo sic periit lumen solare, quod omnis
 Usque Creaturae fons, & Origo fuit?
 Jamque saluti fero pro melle venena bibentes
 Ultra hominum nugas credimus esse nihil?
 Non me vana movet titubantis opinio vulgi.
 Quod nihil in Cælo, nil Acheronte videt?
 Quam nos cunque trahit Deus & natura sequamur,
 Omnis apud superos, Carole, nostra salus
 Litera precipites sed nos dedit ipsa, nec usquam est,
 Qui sapit, hoc tanta est tempore plaga Dei.
 Multa quidem scripsit in Apollinis arte Galenus,
 Et sua non parvum dogmata pondus habent.
 Sed fora verba juvent, nos arsque fidesque medendi:
 Fallitur è chartis qui petit ager opem.
 A Cælo Medicina venit, superumque favore
 Cognita per paucis vatibus ante fuit.
 Hanc illi sancte coluere, nefasque putarunt
 Sacra rudi populo notificare Dei.
 Hinc Magicas artes invenit docta vetustas,
 Discipulos illas eruditque suos.
 Quis Deus, & Cælum quam ratione vagetur,
 Afficiens radiis inferiora suis.
 Quomodo principium rerum fuit una potestas,
 Sitque Creatoris mundus imago sui.
 Ad quem factus homo totum complectitur orbem,
 Qua licet eterno participatque Deo.
 Principiis rerum, fama est, Danaeia Persis
 Immolat, & cæli lumen utrumque colit.
 Qui multos fallunt motus septemplex orbis
 Tradidit hos veros ingeniosus Atlas.

Mon-